

episcopali edicto delationem armorum seu scloporum venatoriorum, potest Episcopus contra transgressores procedere per inquisitionem, etiamsi non sint capti in fragranti, ne clypeo deficientiæ probationis corporis delicti per capturam in fragranti Clerici audaciores evadant, et sine pœnæ timore, delatione armorum abutantur, et occasio delinquendi illis præbeatur; Conciol. *resol. crimin. verb. arma, resol. 11. n. 1. et 5.* et alii ab ipso allegati. Tum quia Episcopus ex causa, et pro morum reformatione, sicuti potest augere pœnam Canonum, *cap. Et parte 11. de transactionibus, cap. Sicut dignum 6. de homicid. Abbas in cap. Licet n. 2. de Offic. Judic. Ordin. Riccius in praxi for. Ecclesiast. part. 2. resolut. 206, n. 1. vers. Secundo*; ita ad tollendos abusus potest ex officio, et per inquisitionem processum instituere contra Clericos arma, seu scloporum venatorium abusive, et frequenter deferentes, et eos moderata pœna pecuniaria mulcare. *Farinac. part. 12. q. 108. n. 13. Amen. de delict. et pœn. tit. 7. § 1. n. 16.* (38. Clerici tamen, qui non abusive, et frequenter, sed raro, bis, v. gr., ter, aut quater in anno moderatione et modestia servata, ac numquam dimisso habitu Clericali in saltu, vel in agro ad venandas aves recreationis gratia, sclopo venatorio uterentur, non essent processandi, nec puniendi, sed cum eis esset connivendum, et dissimulandum. *Glossa in cap. 1. de Cleric. venator. Conciol. resol. crimin. verb. arma, resol. 24. num. 2. et 5. Monacell. tom. 2. tit. 15. form. 4. n. 23. Pignatell. tom. 3. consult. 59. n. 13. ubi dicit venationis abusum, et non usum esse Clericis prohibitum. Eo vel maxime, quod clerici venatores non nisi trina monitione præcedente, puniendi sunt. Hostiens. in summ. tit. de venat. § fin. Ananias in cap. 1. de Cleric. venator. Henic. ibidem Menochius in const. 221. n. 52. vol. 3. Belet. disquisit. Cleric. tit. de disciplin. Cleric. § 19. sub n. 6. verb. Verumtamen, quos refert, et sequitur Sperell. dec. 124. n. 33.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(41. De prohibita Clericis delatione armorum diximus in addit. ad verb. *Arma*. Hic vero non incongrue quæri potest, an Clericus deferens arma, quæ statuto sæculari simpliciter, vel certo tempore aut loco prohibita sunt, spoliari iisdem a ministris Curie sæcularis possit? (42. Affirmant inter alios Julius Clarus § *final. q. 36. n. 26. Covarr. variar. resol. lib. 2. cap. 20. n. 18.* idque quia tale statutum concernit publicam utilitatem, et sacris Canonibus conforme est, adeoque Clericos etiam obligat. (43. Sed esto quod statutum hujusmodi possit obligare Clericos, tamen non sæcularis, sed

Ecclesiasticæ potestatis esse debet, ut Clerici illud observent. (44. Rectius igitur Ugolin. *de potest. Episcop. cap. 13. § 12. n. 3. Guazzin. par. 1. defens. 20. cap. 9. n. 11. de Jurisd. part. 4. centur. 1. cas. 7. per tot.* aliique sentiunt, quod dictus Clericus, nisi in fragranti crimine, aut ejus machinationeprehendatur, aliaque via non supersit, qua injuria, vel damnum ab ea inferendum prohiberi possit, armis etiam specialiter prohibitis jussu sæcularis Magistratus spoliari nequeat.

(45. Prohibitionem venationis Canonibus tot Conciliorum Clericis factam accipiunt communiter Canonistæ de venatione *clamorosa, et periculosa*, uti vocant, eaque quæ cum armis fieri solet, eaque propter tenent sanitatis, vel recreationis causa Clericos venatione uti non prohiberi, dummodo id faciant cum silentio, et modestia.

(46. At Ziegler. *de Episcop. lib. 4. cap. 19. n. 5. et seqq.* « Verum enim vero (inquit) interpretatio ista Canonistarum non videtur satis conveniens, vel Canonum textui, et literæ, vel priscis Ecclesiæ institutis. Canones quod attinet, generaliter illi omnem venationem interdiciunt. Et ne de hac generalitate quis dubitet, legi poterit interpretatio Nicolai Papæ, quæ habetur apud Gratianum dicto loco. Verba digna sunt, quæ hic adscribantur: Quorumdam relatione fidelium nostris auribus intimatum est, quod Lanfredus Episcopus, qui et juvenis dicitur, venationi sit deditus, quod vitium plurimos etiam de Clericali catalogo, genere dumtaxat Germanos, et Gallos, irreverentes implicat. Verum iste, si ita est, ut audimus, merito juvenis dicitur, quia juvenilibus desideriis occupatus nulla gravitate constringitur; nam ut Beatus dicit Hieronymus, Venatorem numquam legitimus sanctum... Oportet ergo fraternitatem tuam, Synodale cum Episcopis, et suffraganeis tuis convocare Concilium, et hunc salutaribus eloquiis Episcopum convenire, atque illi pastorali auctoritate præcipere, quatenus ab omni bestiarum, vel volucrum venatione penitus alienus existat, etc. Generalia sunt verba, et talia, quæ nullam admittunt exceptionem, aut limitationem, ab omnium bestiarum, vel volucrum venatione penitus alienus. In verbis sequentibus comminatur Pontifex excommunicare eum debere pro venationis delectatione, si parere contempserit. Nec distinctionem fecit inter Episcopos, et alios Clericos, dum ait, vitium istud plurimos etiam de Clericali catalogo implicasse. In utrisque scilicet vitium esse censetur. Instituta Ecclesiæ primitivæ hæc erant, ut Clerici morum gravitate, et vitæ genere omnibus aliis in republica Civibus antecellerent, utve, quantum fieri posset, inania hominum studia, et nimiam familiaritatem vitarent, et ab omni negotio abstinerent, per quod corrumpi sanctitas Christiana posset. Honoratur Ministerium, inquit Bernardus epist. 28. morum gravitate, consiliorum auctoritate, et actuum honestate. Nec enim doctrina tantum, sed et vita Ministrorum Ecclesiæ in conspectu omnium instar Civitatis supra montem sitæ posita est, adeoque

cavendum ipsis assidue, ne vitæ humanæ tenebris involvantur, et ab enormi actionum suarum norma scandalum Ecclesiæ præbeant. Atque hinc dubitare licet, utrum per venationis exercitium servari possit ea morum gravitas, quæ in Ministro Ecclesiæ exigitur. » Hanc ipsam distinctionem pluribus rejicit Joannes Busæus ad *Epist. 56. Petri Blesensis.*

ARTICULUS VII.

Clericus, quoad immunitatem, et exemptionem.

(1. Clerici fugientes ad Ecclesiam gaudent immunitate Ecclesiastica. Sac. Congregat. Immunitat. in *Romana 17. Januar. 1628. lib. 1. Decr. Pauluc. pag. 79.* (2. Clericus percussor alterius Clerici confugiens ad Ecclesiam gaudere debet immunitate; ead. Sac. Congregat. in *Sulmonen. 9. Octobr. 1635. lib. 2. decret. Paul. pag. 236.* (3. Etiam Regularis captus in loco immuni pro delicto non excepto in Bulla Gregorii XIV. gaudere debet immunitate Ecclesiastica. Eadem Sacra Congregatio in *Fulginate. 9. Mart. 1639. lib. 1. Decr. Paul. pag. 116.* (4. Immo Regularis Sacerdos de ordine Prioris Conventus, et Commissarii causæ Criminalis extractus ab Ecclesia Conventus, ad quam confugerat e carceribus ipsius Conventus restituendus est, et injungitur Archiepiscopo, ut mandet restitui. Eadem Sac. Congregat. in *Neapolitana 11. Octobr. 1692. lib. dec. Grimald. pag. 209.* (5. Clerici non tenentur ad solutionem onerum impositorum pro Physico, Chirurgo, et Ludimagistro. Sac. Congr. Episc. et Regul. in *Lauretana Pennen. Diocesis 2. Aug. 1619. et Sac. Congreg. Immunit. in una Nullius S. Laurentii in Campo 14. Febr. 1628. lib. 1. decr. Paul. pag. 84.* (6. Clerici non tenentur ad onera, nisi ea sint certa, realia, et invariabilia. Sac. Congreg. Immunit. in *Camerin. 17. Jan. 1626. lib. 1. decr. Paul. pag. 80.* (7. Clerici gaudent exemptione pro bonis patrimonialibus in totum, et etiam pro acquisitis et donatis. Eadem Sacra Congregatio in *Campanien. 4. Septemb. 1674. lib. 1. decr. Altovit. pag. 992.* (8. Clerici ex solo Characterе Clericali gaudent exemptione ab impositionibus, collectis, et aliis oneribus. Eadem Sac. Congregat. in *Fanen. 23. Jun. 1647. l. 4. decr. Paul. p. 19.* (9. Etiam si sint in Minoribus, nec habeant requisita Concilii; cum Concilium Tridentinum non habentibus dictas qualitates non adimat nisi privilegium Fori. Eadem Congregatio in *Firmana 10. Septembr. 1629. lib. 2. decr. Paul. pag. 5. in Assisien. 29. Jun. 1629. lib. 2. decr. Paul. pag. 141. et 10. Maii 1633. lib. 2. decr. Paul. pag. 155. et 3. Octob. 1634. lib. 2. decr. Paul. pag. 203. in Aprutina 6. Martii 1635. lib. 2. decr. Paul. pag. 218. in Fanen. 13. Augusti 1647. lib. 4. decr. Paul. pag. 23.* (10. Etiam si in susceptione Ordinis protestati fuerint nolle eximi ab oneribus Laicalibus. Eadem Sac. Congregatio in *Aprutina 10. Septembr. 1652. lib. 4. decr. Paul. pag. 196.* (11. Etiam si sint Clerici solum primæ Tonsuræ, sunt exempti ab impositionibus Laicalibus. Eadem Congre-

gatio in *una Montis Regalis 10. Augusti 1638. lib. 2. decr. Paul. pag. 69. in una Montis Alti 10. Novembr. 1628. lib. 3. decr. Paul. pag. 77. in Mutinen. 23. Aug. 1650. lib. 4. decr. Paul. pag. 116.* (12. Etiam si ipsi Clerici habentes solum primam Tonsuram Habitum, vel Tonsuram non deferant, nisi tertio moniti, contumaces extiterint. Eadem Congregat. in *Aquilana 5. Maii 1741. lib. 3. decret. Pauluc. pag. 138. Fagnan. in cap. Pervenit. 2. de immunit. Ecclesiarum numer. 14. et 15.*

(13. Clerici gaudent exemptione pro bonis patrimonialibus in portione sibi tangente. Sac. Congregat. Immunit. in *Asten. 10. Maii 1633. l. 2. decr. Pauluc. pag. 156. in Novarien. 23. Aug. 1633. lib. 2. decr. Paul. pag. 169.* (14. Clerici non tenentur ad Gabellas, quando per alios, vel per se ipsos absque sui Officii detrimento arti sericæ operam dant cum foliis arborum in propriis bonis existentium. Eadem Congregatio in *Neocastr. 9. Jun. 1637. lib. 3. decr. Pauluc. pag. 34.*

(15. Clerici in Minoribus constituti viventes simul cum eorum Patribus, non tenentur ad collectas, et alia onera pro bonis sibi donatis, nisi donationes sint fraudulentæ, et uti tales per Judicem Ecclesiasticum declaratæ. Eadem Congregat. in *Hieracen. 4. Jul. 1645. lib. 3. decr. Paul. pag. 244.*

(16. Clerici in Minoribus etiam si non se promovere faciant ad Ordines Sacros, gaudent exemptione ab impositionibus. Eadem Congregatio in *una Civitatis Pennæ 21. Mart. 1656. lib. 3. decr. Paul. pag. 273.*

(17. Clerici sunt exempti a Gabellis Laicalibus etiam pro portione colonica. Eadem Congregatio in *Ortunen. 24. Jul. 1634. l. 2. decr. Paul. pag. 199.* (18. Clerici non tenentur ad Gabellam impositam pro extractione olei recollecti in suis bonis Patrimonialibus, et Beneficialibus. Eadem Congregatio in *Lycien. 24. Julii 1634. lib. 2. decr. Paul. pag. 196.* (19. Clerici Cives Romani possidentes bona in Territorio Civitatis Malleani, non tenentur ad solutionem Gabellæ extractionis vigore statuti Laicalis debitæ pro fructibus ex iisdem bonis recollectis Romam convehendis pro eorum usu. Eadem Congregatio in *Sabinen. 8. April. 1687. lib. decr. Martell. pag. 86.* (20. Clericus non tenetur ad impositionem Capitulationis ex bonis, et redditibus Patris, cujus impensis vivit. Eadem Congregatio in *Aquilana 4. Sept. 1640. lib. 3. decr. Paul. pag. 127.*

(21. Clerici non gaudent privilegiis Patrimonii Ecclesiastici pro bonis ad suscipiendos Ordines Sacros eis assignatis, donec non fuerint in Sacris Ordinibus constituti. Si vero dicta bona fuerint translata in possessionem eorumdem Clericorum sine fraude, de qua Episcopus diligenter cognoscere debet, gaudent, ut cætera bona a Clericis acquisita etiam ante susceptionem Ordinum Sacrorum. Eadem Congregatio in *Castellaneten. 20. Mart. 1662. lib. Decret. Rocci pag. 391. in Campanien. 4. Septembris 1674. lib. 1. Decret. Altovit. pag. 992. in Pedemontana 22. Novembr. 1692. Decr. Valleman. pag. 4.*

(22. Clerici, et Ecclesiastici sunt exempti a tributis impositis causa belli, pestis, et hujusmodi, nisi concurrant requisita *cap. Non minus 4. et cap. Adversus 7. de Immunit. Ecclesiarum*. Sacra Congregatio Immunitatis in una Polonia 3. *Januar. lib. 1. decr. Paul. pag. 78.* (23. et sæpe alibi pro consimilibus contributionibus, ut pro novis muris Civitatis ædificandis in *Jan. 16. Aprilis 1630. 1628. decr. Paul. pag. 36.* Pro refectione Aggerum; in *Mut. 19. Decemb. 1634. lib. 2. decr. Pauluc. pag. 212. in Nulius Guastalla 8. Aprilis 1636. l. 3. Decr. Paul. pag. 2. in Perusina 3. Jun. 1690. l. Decr. Martell. pag. 616.* (24. Pro excavatione alveorum, et fovearum; in *Assisien. 18. Febr. 1631. lib. 2. decr. Paul. p. 93 et 23. Aug. 1650. lib. 4. decr. Paul. p. 113. in Mutinen. 13. Jul. 1637. lib. 3. Paul. p. 37.* (25. Pro refectione pontium; in *Mutinen. 19. Dec. 1634. l. 2. decr. Paul. p. 212.* (26. Pro reparatione fluminum; in *Lucana 28. Jan. 1681. lib. 2. decr. Altovit. pag. 2145. et in eadem 22. Januar. 1692. lib. Decret. Grimald. p. 78.* (27. Pro introducenda aqua in Civitatem; in *Isolana 17. Jul. 1585.* Pro excavatione faciendæ Canalis; in *Ferrarien. 4. Januar. 1632. lib. 2. decr. Paul. pag. 112.* (28. Pro defensione Arcium Africae ad formam indulti S. M. Clement. X. sub die 17. Jul. 1671. In una Regni Siciliae 21. Nov. 1690. lib. decr. Martell. p. 688. (29. Ex d. autem *cap. Non minus 4. c. Adversus 7. de Immunitat. Ecclesiast.* ut Clerici licite solvant collectas, et impositiones Laicorum sex requiruntur. (30. Primo requiruntur, ut Episcopus simul, et Clerus super hoc deliberent, et consentiant, ut patet ex litera in d. *cap. Non minus, ibi Episcopus, et Clerus.* Unde hoc non potest Episcopus sine Clero, nec Clerus sine Episcopo; cum copula *Et* in textu posita requirat concursum utriusque copulati; l. *Si quis ita stipulatus*, et ibi Bart. ff. de verb. oblig. et clarissime habetur ex verbis d. c. *adversus, ibi: Episcopus simul cum Clericis.* (31. Quo fit, ut nec cum Capitulo Episcopus id possit, quia, in tangentibus totum Clerum, non sufficit, quod Episcopus habeat consensum sui Capituli, sed requiruntur, quod interveniat consensus Cleri; ut colligitur ex *Clem. 1. et 2. de censibus*, et tenet Abbas in *dict. cap. Minus n. 5.* et ibidem Fagnan. n. 24. (32. Secundo requiruntur, ut evidens utilitas, vel necessitas subsit, ut declarant verba textus, et in d. *cap. non minus, ibi: tantam necessitatem, et utilitatem perspexerint.* (33. Et hæc necessitas, vel utilitas quanta esse debeat ad hoc, ut Clerici licite solvant collectam pro subsidio Laicorum spectat ad Episcopum, et Clerum judicare, ut colligitur ex ipsis verbis utriusque textus: *Aspexerint, Prospexerint*, et tenet Gloss. in d. c. *Non minus, verb. tantam necessitatem*, et ibid. Fagnan. n. 25.

(34. Tertio requiruntur, ut hujusmodi necessitas, vel utilitas sit communis, scilicet tam Laicorum, quam Clericorum; ut patet ex verbis iisdem in utroque capite, ibi: *Ad revelandas communes utilitates, vel necessi-*

tates. Et sic solide tenent Abbas in d. c. *Non minus num. 18.* Fagnan. ibidem *num. 18.* et alii passim. (35. Quarto requiruntur, ut ad solvendas communes utilitates vel necessitates non sufficiant solæ facultates Laicorum, textu expresso in utroque dicto capite, ibi: *Ubi Laicorum non suppetunt facultates.*

(36. Quinto requiruntur, ut contributio ab Episcopis fiat sponte, et sine aliqua exactione, vel compulsione, ut clare ex verbis *dict. c. Non minus*, ibi: *absque ulla exactione*, et clarius ex verbis *dict. cap. Adversus*, ibi: *Absque ulla coactione.* (37. Semper enim exactio pecuniarum ab Ecclesiasticis in similibus casibus est faciendæ a Ministro deputando ab Episcopo, ut pluries censuit Sac. Congreg. Immunitatis, et signanter 22. Apr. 1697. et in *Florentina 19. Aug. 1698. lib. 2. decr. Vallem. pag. 169. et in una Montis Politiani 17. Novembris 1696. lib. 2. decr. Vallem. pag. 258.* Immo sæpius injungitur Episcopo, ut non permittat Laicos exigere per se ipsos contributiones ab Ecclesiasticis causa belli, et exacta restituere faciat. Eadem Sac. Congreg. in *Aquen. 6. Decemb. 1602. lib. 1. decr. Vallem. pag. 8. in Casalensi 13. Decemb. 1692. lib. 1. decr. Valleman. pag. 10. ibid. 16. Mart. 1694. lib. decr. Valleman. pag. 110.* (38. Sexto requiruntur, ut Romanus Pontifex prius consulatur; textu expresso in d. *cap. Adversus*, ibi: *Propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex prius consulatur; cujus interest communibus utilitatibus providere.* Et hæc est opinio vera, et observata in Constitutionibus Ecclesiasticorum, cum semper requiratur Beneplacitum Apostolicum. Sacra Congregatio Immunitatis in *Mutinen. 10. Mart. 1643. lib. 3. decr. Paul. pag. 197.* (39. Etiam quando contribuunt pro rata commodi particularis, et privati. Sacra Congreg. in *Firmana 13. Jul. 1633. lib. 3. decr. Paul. pag. 37. in Mutinen. 19. Novembr. 1647. lib. 4. decr. Paul. pag. 3.*

(40. Clerici non tenentur custodias facere occasione suspicionis Turcarum, nisi concurrente præcisa necessitate. Sac. Congreg. Immunit. in *Tranen. 11. Januar. 1633. lib. 2. decr. Paul. pag. 140.* (41. Nec tenentur ad onus unius ligni pro qualibet sarcina ob servitium arcis. Eadem Sac. Congr. in *Perusina 9. Octobr. 1640. lib. 3. decr. Paul. pag. 132.* (42. Nec ligantur bannimentis Magistratus sæcularis de petenda licentia accedendi ad proprias vineas tempore vindemiarum, et ideo non tenentur petere præfatam licentiam, et quando bannimenta ista sint necessaria pro publica utilitate, et necessitate Episcopus potest providere mediante suo Edicto. Eadem Congregatio in *Forolivien. 31. Maii 1659. lib. 5. decr. Paul. pag. 92.* (43. Clerici et Ecclesiastici non sunt subjecti oneribus, nec ordinariis, nec extraordinariis impositis ad favorem Principis, nisi juxta decisionem in *Brundusina, et Albanen. Gabellæ*. Nec tenentur ad consignationem frumenti, et aliorum fructuum faciendam Principi Laico. Eadem Congregatio in *Casalen. 18. Aug. 1637. lib. 3. decr. Paul. pag. 79.* Etiam hoc decreverat Sac. Congregat. Episcoporum

et Regular. in *Ferrarien. 19. Junii 1592.* quod semper Clerici non tenentur denunciare sua frumenta vel bladas Judici Laico, sed Episcopo, qui notam dabit sæcularibus, absque eo tamen quod graventur Clerici. (44. Unde tempore penuriæ ut dicitur, *le rassegne* frumentorum, et bladarum Ecclesiasticorum faciendæ sunt per Ecclesiasticos Curia Episcopalis, et ab Episcopo arbitranda est quantitas, qua indiget unusquisque Ecclesiasticus; frumentum vero, et bladæ asserventur in loco ipsi Episcopo beneviso, et sub custodia deputati ab ipso Episcopo; et ut dicitur *si spiani* in forno Ecclesiastico, si quem habent. Sac. Congreg. Immunit. in una *Civitatis Castelli 4. Jan. 1630. lib. 2. decr. Paul. pag. 25.* (45. Unde prodit rescriptum, quod contra Edictum Senatus super notificatione frumentorum, et vilitatione horreorum comprehensivum Ecclesiasticorum uti læsivum Immunitatis, Libertatis, et Jurisdictionis Ecclesiasticæ, Episcopi tueantur Ecclesiasticos, et desuper dantur literæ circulares. Eadem Congregat. in *Papien. 19. Octobr. 1675. lib. 1. decr. Altovit. pag. 1159.* (46. Sic perquisitio frumentorum in locis immunibus est prorsus prohibita Laicis. Eadem Sacra Congregatio in *Florentin. 15. Decemb. 1648. lib. 4. decr. Paul. pag. 66.* Et ideo dantur literæ circulares Episcopis status Ecclesiastici pro perquisitione frumenti in locis immunibus ad effectum faciendi ejus assignationem Ministris Abundantiæ soluto competenti pretio. Ead. Congr. 20. Aug. 1678. lib. 2. decr. Altovit. pag. 1630.

(47. Non est permittendum Ecclesiasticos comprehendi in prohibitione Laicorum vendendi et emendi frumenta, sed urgente necessitate potest Ordinarius peculiari suo Edicto Ecclesiasticis prohibere. Ead. Congregat. in *Ragusina 10. Jun. 1636. lib. 3. decr. Paul. pag. 7.* (48. In venditione frumenti, bladarum, et similibus Clerici, et Ecclesiastici non tenentur servare taxam, et alias ordinationes editas a Potestate Laica, sed Episcopus sua ordinatione constituat eandem taxam pretii justi, et contra transgressores procedat. Ead. Congregatio in *Melevitana 21. Mart. 1646. l. 3. decr. Paul. pag. 276. in Bovinen. 17. Mart. 1695. l. 1. decr. Vallem. pag. 189.* (49. Episcopus potest in casu necessitatis proprio edicto statuere pretium frumenti Ecclesiasticorum, eosque cogere ad venditionem, reservata tamen pro usu, et sustentatione ipsorum æqua, et proportionata quantitate. Eadem Congregatio in *Casal. 12. Febr. 1695. lib. 1. decr. Valleman. pag. 171.* (50. Immo injungitur Episcopo, ut pro currenti anno attenta gravissima penuria præfigat proprio Edicto justum pretium frumento Ecclesiasticorum, et obliget auctoritate Sac. Congregationis Ecclesiasticos tam Sæculares, quam Regulares ad venditionem frumenti, reservata tamen pro usu, et sustentatione eorum ea quantitate, quæ æqua, et proportionata omnibus consideratis ab eodem Episcopo reputata fuerit. Eadem Sacra Congregatio in *Neocastren. 1. Decemb. 1696.*

lib. 2. decr. Vallem. p. 61. (51. Quatenus Episcopus judicet talem esse penuriam frumenti, ut sit expediens prohibere Ecclesiasticis extractionem, eam prohibeat proprio Edicto, nulla facta mentione vel habita relatione ad Edictum Laicale. Ead. Sac. Congr. in *Neocastrens. 8. Aug. 1693. l. 1. decr. Valleman. p. 66.* (52. Mandatur Episcopis et Archiepiscopis Regni, ut attenta penuria vendant eorum frumenta, et respective faciant vendere a propriis Ecclesiasticis pro pretio tamen per eosdem cum emptoribus concordato, et quatenus non concordent, vendant pro pretio justo judicato arbitrio Episcoporum. Eadem Sacra Congr. in *Neap. 10. Novemb. 1646. lib. 4. decr. Paul. pag. 63.* (53. Nuncio Neapolis scribitur, non esse extendendam facultatem extrahendi frumenta, ita ut etiam cum deputatione personæ Ecclesiasticæ minime liceat Commissario Regio extrahere frumenta recondita in locis immunibus, etiamsi fortassis empta contra formam Pragmaticæ. Eadem Sacra Congregatio in *Neapolitana 28. Septemb. 1694. lib. 1. decr. Valleman. pag. 149.* (54. Gubernator non potest cogere Ecclesiasticos ad asportandum in horrea publica partem suorum frumentorum. Eadem Sacra Congregatio in *Auximana 10. Decemb. 1646. lib. 4. decr. Paul. pag. 35.* Immo ob Edicta Gubernatoris læsiva libertatis Ecclesiasticæ proceditur contra eundem. Eadem Sacra Congregatio in *Minerbinen. 6. Novemb. 1594. lib. 1. decr. Vallem. pag. 155. et 19. Apr. 1695. d. lib. pag. 183.*

(55. Clerici, et Ecclesiastici non possunt cogi ire ad molendinum Domini temporalis, seu Communitatis, sed possunt ire ad alia sibi benevisa. Sac. Congregat. Immunitatis in *Neitonen. 1. Septemb. 1643. lib. 3. decr. Paul. pag. 208.* (56. Prohibitio Communitatis eundi ad alia molendina, quam ad molendina ipsius Communitatis, non comprehendit molendina Episcopi, Ecclesiarum, et Ecclesiasticorum, tam intra, quam extra Communitatis Territorium existentia, et Communitas est cogenda ad declarationem non comprehensionis. Ead. Sac. Congreg. in *Firmana 19. Novembr. 1630. lib. 2. decr. Paul. 65.* (57. Ecclesiasticorum molendina non comprehenduntur sub bannis Gubernatoris, qui debet facere declarationem de non comprehensione eorum. Eadem Sacra Congreg. in *Esina 8. Apr. 1631. lib. 2. decr. Pauluc. pag. 47.* (58. Ecclesiasticorum molendina, ac molentes in ipsis molendinis non comprehenduntur sub prohibitione Laicorum solvendi Gabellam, ut dicitur *della Pesa*. Eadem Sac. Congreg. in *Maceraten. 19. Jan. 1638. lib. 3. decr. Paul. pag. 52.* (59. Repugnat Immunitati, et Libertati Ecclesiasticæ exactio oneris molituræ in molendinis Ecclesiasticorum, et equitum Sancti Mauritii; nec non publicatio ordinis prohibitivi eundi ad dicta molendina. Eadem Sac. Congregatio in *Taurinen. 11. Septemb. 1643. lib. 2. decr. Paul. pag. 202.* (60. Edicta Laicalia prohibentia ire ad certa molendina, afficere nequeunt Ecclesiasticos. Eadem Sac. Congreg. in *Maceraten. 4. Jun. 1672. lib. 1. decr. Altoviti*

pag. 694. (61. Edicta Curiae Laicalis prohibentia Laicis molere olivas in molendinis Ecclesiasticorum sunt revocanda. Eadem Sac. Congregatio in una Nullius Marubii 16. Septemb. 1687. l. decr. Martell. pag. 137. (62. Immo impediens molere olivas in molendinis Ecclesiasticorum, et praetendentes decimas, sunt ab Ordinario excommunicandi. Eadem Sac. Cong. in Catacen. 11. Aug. 1631. lib. 2. decr. Paul. pag. 85. in Ugentina 29. Octob. 1695. l. 1. decr. Vallem. pag. 226. (63. Edictum pœnale Baronis prohibens suis subditis, ne utantur molendino Monachorum Cisterciensium omnino revocari cogat Episcopus, et referat Sac. Congregationi. Eadem Sac. Congr. in Anglonen. 2. Novemb. 1693. lib. 1. decr. Vallem. pag. 87. (64. Episcopus procedat prout de Jure contra Ministros Laicos impediens Moniales in fabricatione molendini olearii, non obstante Monitorio A. C. Eadem Sac. Congreg. in Ariminen. 9. Febr. 1700. lib. 2. decr. Vallem. pag. 272. (65. Clerici, et Ecclesiastici sunt exempti ab impositione molituræ. Eadem Sac. Congreg. in Isernien. 18. Mart. 1631. lib. 2. decr. Paul. pag. 99. (66. Non licet Gubernatori, seu Curiae sæculari visitare, seu perquisitiones facere in molendinis Monialium, et aliorum Piorum Locorum, quamvis sint conducta a Molitoribus afflictuariis. Ead. Sac. Congregat. in Verulana 2. Octobr. 1691. lib. decr. Grimald. pag. 18. (67. Clerici, et Ecclesiastici sunt omnino exempti ab onere hospitandi Milites. Eadem Sac. Congreg. in Papiens. 10. Septembr. 1629. lib. 2. decr. Paul. pag. 6. (68. Etiam in bonis patrimonialibus pro sua portione, et virili. Eadem Sac. Congreg. in Derthonen. 4. Decembr. 1629. lib. 3. decr. Paul. pag. 18. in Aquilana 16. Apr. 1630. l. 2. decr. Paul. pag. 35. (69. Episcopus non permittat hospitalitatem equorum Militarum in atriis, et cortilibus Monasteriorum Monialium. Eadem Sacra Congregatio in Asten. 5. Decemb. 1696. lib. 2. decr. Vallem. pag. 61. (70. Ministri publici Civitatis, qui violententer fecerunt reponi fœnum in Claustro Regularium, incidunt in Excommunicationem, sed attempta remotione fœni, et prævia aliqua eleemosyna eroganda Ecclesiae violatæ consensu partis, et obligatione de non incurrendo amplius in similia, datur facultas absolventi in forma. Eadem Sac. Congr. in Papiens. 27. Augusti 1697. lib. 2. decr. Vallem. pag. 110. (71. Officiales, et Milites prævia reintegracione Ecclesiae, et consensu partis absolventur ob violentam hospitalitatem in domo Canonicali. Eadem Sacra Congregatio in Augustana 9. Aprilis 1693. lib. 1. decr. Vallem. pag. 181. (72. Clerici, et Ecclesiastici sunt immunes a Gabella chartæ sigillatæ, seu bullatæ. Eadem Sac. Cong. in Florentin. 19. Mart. 1647. lib. 3. decr. Paul. p. 7. Clerici, et Ecclesiastici non tenentur ad expensas novæ mensurationis bonorum, quæ fit ad instantiam Communitatis. Eadem Sacra Congregatio in Bertinoren. 10. Maii 1630. lib. 3. decr. Paul. p. 89. (73. Clerici et Ecclesiastici sunt exempti a collectis pro portione bonorum ad eos spec-

tantium, non pro portione Matris, Fratrum, et Sororum, ac Conjunctorum, nisi isti vivant cum ipsis Ecclesiasticis, et expensis eorundem Ecclesiasticorum. Eadem Sac. Congreg. in Albanen. 14. Augusti 1634. lib. decr. Paul. pag. 197. in Aprutina 6. Mart. 1635. lib. 2. decr. Paul. pag. 218. in Auximana 25. Jan. 1650. lib. 4. decr. Paul. p. 94. (74. Ecclesiastici ementes bona cum pacto solvendi onera non tenentur ad onera personalia, sed tantum ad onera realia, quæ sint certa, et invariabilia, et ante venditionem imposita. Eadem Sac. Congreg. in Taurinen. 26. Mart. 1620. lib. 2. decr. Paul. p. 132. (75. Clerici, et Ecclesiastici non tenentur ad solutionem oneris nuncupati il Tasso della Citadella. Ead. Sac. Cong. in Casalen. 23. Apr. 1634. lib. 2. decr. Paul. pag. 188.

(76. Clerici, et Ecclesiastici sunt taliter exempti a gabellis Laicalibus, ut nec etiam sponte possint illas solvere sine Beneplacito Apostolico. Eadem Sac. Congr. in Placentin. Provinc. Compostellanæ 31. Maii 1639. l. 3. decr. Pauluc. pag. 93. (77. Unde sponte solventes impositiones Laicales, absolvuntur a Censuris. Ead. Sacra Congr. in Sulmonen. 10. Sept. 1639. lib. 3. decr. Paul. pag. 102. (78. Ecclesiastici vendentes, et ementes vinum, non tenentur ad Gabellam desuper impositam. Ead. Sac. Congr. in Neriton. 21. Novemb. 1651. lib. 4. decr. Paul. pag. 167. (79. Hinc Ecclesiastici possunt libere vendere triticum, et vinum in suis prædiis collectum juxta privilegia Sacrorum Canonum, et declarationes Sacræ Congregationis. Ead. Sacra Congr. in Lucana 30. Jul. 1692. lib. decr. Grimaldi pag. 192. (80. Insuper Clerici, et Ecclesiastici possunt vinum relictum in propriis bonis vendere etiam minutatim in suis domibus, absque eo quod teneantur ad Gabellam vulgo dictam della foglietta, et cognitio fraudum, quæ desuper fieri possunt, spectat ad Judicem Ecclesiasticum. Ead. Sac. Congr. in Spoletana 25. Sept. 1627. lib. 1. decr. Paul. pag. 67. in Theatina 15. Mart. 1661. lib. decr. Rocci pag. 323. in Faventina 25. Jan. 1677. lib. 2. decr. Altovit. pag. 1338. in Auximana 2. April. 1680. l. 2. decr. Altovit. pag. 1654. (81. Quinimmo nedum non tenentur ad Gabellam pro vino minutatim vendito, sed et pignus desuper factum, est iis restituendum. Ead. Sac. Congr. in Callien. 1. April. 1704. lib. decr. Vallem. pag. 368. (82. Edictum, vulgo Grida, jussu Ducis N. facta præcipiens describi omnes personas sui status, non comprehendit Ecclesiasticos, nec personas exemptas. Eadem Sacra Congr. in Casalen. 9. Maii 1695. lib. decr. Martel. pag. 607. (83. Archiepiscopus prohibeat Clericis suæ Diocesis sub comminatione Censurarum, ut non pareant mandatis Judicis Laici de exhibenda nota propriorum nominum, patriæ, qualitatis, et valoris Beneficiorum, atque de tempore, quo illa possident. Ead. Sacra Congr. in Mediolan. 19. Jul. 1624. Ex regesto scripturarum Veterum pag. 29. (84. Edictum Gubernatoris Mediolani circa omnes Censualistas nequit afficere Loca Pia. Ead. Sac. Congr.

in Cremon. 31. Jul. 1691. l. decr. Martell. pag. 748. (85. Edictum Regium, quoad taxas impositas causa monetæ novæ, non afficit Ecclesiasticos. Ead. Sac. Congr. 1. April. 1695. lib. 1. decr. Valleman. pag. 180. (86. Ad instantiam tamen Regis Catholici Sacra Congregatio ex placito Sanctissimi concedit approbationem Donativi extraordinarii Ecclesiasticorum in Regno Siciliae, dummodo erogetur in causa monetæ novæ. Ead. Sac. Congr. in una Regni Siciliae, seu Panormitana 15. Sept. 1693. lib. 2. decr. Valleman. pag. 176. Vide alia ad rem in verb. Bona Ecclesiastica quoad eorum immunitatem art. 2. per tot.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(87. Non incongrua hic est quæstio illa, an Clerici obligentur statutis laicorum, quorum materia Clericis æque ac sæcularibus communis est, neque privilegiis ipsorum Clericorum repugnat. (88. Affirmant communiter Doctores. Vide inter alios Suarez de Leg. cap. 33. num. 13. Soll. de immunit. part. 2. num. 278. idque quia uniformis talium statutorum observatio necessaria omnino est ad Reipublicæ pacem, tranquillitatem, et incommutatam conservandam.

(89. Tria vero ad plenam hujus quæstionis discussionem examinanda sunt. Primum est, unde oriatur obligatio Clericorum quoad observationem dictorum statutorum. Alterum est, an Clerici a potestate Civili adigi possint ad servanda dicta statuta. Tertium illudque magni momenti, quænam statuta sint illa, quorum materia est communis tum Clericis tum laicis, neque Clericorum Privilegiis repugnat.

(90. Quod attinet ad primum, Soll. ubi supra: Eos obligari (inquit) ex æquitate seu ratione naturali, seu potius vi juris Canonici Clericis hanc obligationem imperantis. (91. Quoad vero secundum, non a potestate Civili, sed a Potestate Ecclesiastica adigendi sunt Clerici ad dicta statuta servanda. (92. Quinimmo non tenetur Judex Ecclesiasticus Clerico transgressori imponere poenam a dictis statutis inflictam. Covarruv. practic. quæst. cap. 33. in fin. Sperell. decis. 123. a num. 6. ad plur. sequent. (93. Quod demum concernit tertium, difficile est regulam generalem tradere, qua tuto affirmari possit statuta, de quibus controversia est, esse de iis, quorum materia non minus Clericis, quam sæcularibus sit communis, et Privilegiis haud repugnet Clericorum. (94. In particulari de ipsis agendum. Plura id genus statuta ad examen revocat Zypæus de jurisdict. lib. 2. ser. per totum, omnino ubi res postulata, consulendus. Illud non est silentio prætereundum, quod traditur de dictis statutis, locum itidem sibi vindicat quoad consuetudinem, quæ pariter versetur circa materiam communem Clericis et Laicis, et non repugnet privilegiis Laicorum. Zypæus de jurisdict. d. l. 2. cap. 3. per tot.

ARTICULUS VIII.

Clericus quoad obedientiam, et subjectionem episcopo.

(1. Clerici non possunt cogi ab Episcopo ad præstandum aliquod servitium non expressum in Jure; c. quia cognovimus 6. caus. 10. q. 3. (2. Et per hoc fuit alias responsum, Episcopum Burgi S. Donnini potuisse quidem invitare, sed non compellere Clericos suæ Civitatis, ut interessent Litaniis Beatissimæ Virginis, quas in Sabbato decantari jusserat in sua Cathedrali Ecclesia. (3. Et alias responsum est Clericos non habentes Officium, vel Beneficium Ecclesiasticum cogi non posse ab Episcopo ad publicas Processiones accedere. Sic refert, et tenet Fagnan. in c. Conquerente 16. de Offic. Ordinar. num. 8. et Barbosa verb. Processio num. 5. in collectan. Ap. dec. ubi refert Sacram Congr. Conc. 9. Maii 1597. expresse decrevisse, quod Processionibus publicis interesse non sunt compellendi ab Episcopo Sacerdotes nullum Officium, aut Beneficium Ecclesiasticum in Civitate, vel Diocesi obtinentes.

(4. Sic etiam simplices Sacerdotes non habentes Officium, neque Beneficium in Ecclesia Cathedrali, non possunt per Episcopum cogi ad idem, et Canonicis interserviendum in functionibus Ecclesiasticis, seu munere Diaconi, vel Subdiaconi in missis cantatis, non obstante exiguo numero Canonicorum, ut pluries declaravit Sac. Congr. Conc. apud Nicol. lucubrat. Canon. lib. 1. tit. 22. num. 3. et 4. in Sarnen. Servitii Ecclesiae 17. Jun. 1690. in Nullius S. Laurentii in campo 27. Jan. 1691. (5. Sola enim potestate ordinaria Episcopus hoc præcipere, et statuere nequit; nec minus muletis Presbyteros simplices non de gremio Capituli, si non interserviant, gravare, ut declaravit eadem Sac. Congr. Concil. in terminis paucitatis numeri Mansionariorum in Auximana 17. Augusti 1702. et in Signina 15. Dec. 1703. (6. Nisi adesset contraria consuetudo, ut decrevit Sac. Congr. Conc. in Trojana 20. Sept. 1704. et in Bellocastren. Servitiis 15. Nov. 1670. et 21. August. 1706. (7. Vel nisi ageretur de Clericis pro necessitate, et utilitate Cathedralis ad titulum Patrimonii ordinatis, quæ cum eis indigeat, possunt cogi ad interserviendum, dato illis assignamento competentis pro servitio, ut respondit Sac. Congr. Episcop. et Regular. Archiepiscopo Cosentino 5. Apr. 1593. et Sacra Congregat. Concil. in Naxien. 22. Aug. 1631. ut sequitur: « Ad 2. respondit, si hujusmodi Sacerdotes ad servitium Ecclesiae Cathedralis in ipsa Ordinum susceptione vigore decreti prædefuncti Archiepiscopi hactenus executioni demandati eidem Ecclesiae servitium præstare consueverint; nec non patrimonialia, ad quorum titulum sunt ordinati, una cum redditibus extraordinariis, qui ex ipsa Ecclesia percipiuntur, ad honestam ipsorum sustentationem sint sufficientia, posse utique a suo Archiepiscopo compelli ad præstandum servitium, quod ejusdem Ecclesiae necessitas